

deliter fervat per quinque annos. Cum autem postea transfisset ad secundas nuptias, maritus ipsi prohibet hanc abstinentiam, imo irritat votum.

¶. Maritus non potuit irritare hoc votum; quia Bertha illud emisit, dum nondum ipsi subjecta erat. Verum quia adimpletio hujus voti potest actu esse valde molesta marito, hic potest ejusdem suspendere effectum, & Bertha absque scrupulo obedire. C.B.

CASUS LXVIII. Joannes emisit votum largas elemosynas distribuendi in pauperes, si Deus per mensem ipsum præservaret a peccato, cujus contraxit consuetudinem. Verum ne teneretur implere votum, ultimo die mensis de liberate committit illud ipsum peccatum.

¶. Non tenetur ad erogandas has elemosynas; quia in voto conditionato, per se loquendo, non datur obligatio implendi votum, quando conditio non est impleta, prout accidit in casu proposito. Nihilominus si intentio Joannis se obligandi fuisset etiam in casu, quo ab ipso penderet, ponere conditionem vel non ponere, evidens est, eum non obstante peccato commissio obligari ad erogandas elemosynas. *Girib. de Voto. Suarez de Voto. Filuc.*

NOTA. Cum Deus fecerit, quod erat in se, conferendo extraordinariam præservationis gratiam, cum qua facile potuisset perseverare in die mensis ultimo, & promissio utrinque onerosa pertineat ad contractus bonæ fidei, malitiose impediens completionem contractus tenetur compaciscenti ad damnum & interesse. Hinc melius responderetur, Joannem non obstante relapsu teneri ad impletionem voti, conformiter ad regulam juris: *Quicumque sub conditione obligatus curavit, ne conditio existeret, nihilominus obligatur.* Qui voto suo intendit finem, per idem votum etiam obligat se, quod studiose & ex proposito non velit ponere obstacula ad assequendum finem. De cætero prudens confessarius facile meminerit, ejusmodi infideli poenitenti id ipsum pro poenitentia esse injungendum, quod fraudulenta nequitia evitare voluit.

CASUS LXIX. Petrus viginti annos natus ac in gravi infirmitate constitutus emisit votum per totam vitam inferendi infirmis, si sanitatem recuperet. Recuperata jam integra sanitate quaerit, utrum & quamdiu possit differre executionem voti sui.

¶. Potest quidem executionem voti differre, sed tantum ad breve tempus, v. g. ad quatuor aut quinque menses. C.B.

NOTA. Ad ejusmodi votum requiritur maturior ætas, & prudens iudicium; & ideo ob defectum prudentiæ de valore voti facile dubitari, & commutationi locus esse possit. Si autem hoc votum certo validum censetur, nec ratio illud commutandi suppetat, memi-

nisse

nisse oportet verborum Scripturæ ab initio hujus articuli n. 3. allegatorum: *Si mordatus fueris &c.* & ex hoc principio dilatio quinque mensium, aut etiam quinque septimanarum nimis indulgenter conceditur illi, qui votum absque omni dilatione implere potest.

CASUS LXX. Oleander maritus vovit castitatem, & quidem cum consensu uxoris suæ; & tamen ea adhuc reddit debitum conjugale marito id petenti.

¶. Potest illud reddere; uxor enim præcise consentiendo in votum mariti non se privavit jure petendi aut reddendi debitum conjugale; hinc potest licite illud reddere, etiam si maritus non habeat jus illud petendi. Non licet quidem debitum conjugale reddere, quando ex parte actus se tenet circumstantia petitionem reddens illicitam; sed si ejusmodi circumstantia se tenet solum ex parte personæ, ut in ca. ti proposito, non est illicitum illud reddere, etiam petatur illicite. C. B.

NOTA. In casu, quo comparis ostendit, se pati graves tentationes agendi contra votum suum, confessoralis tenetur petere debitum. Omnia ejusmodi vota conjugum in eodem lecto, ut inter plebejos moris est decumbentium, ob quotidiana transgressionum pericula a confessariis summpere dissuadenda, vel tanquam vota ob imprudentiam dubii valoris commutanda sunt.

Vide *Dispensatio in votis, Impedimentum voti, Professio religiosa, Religio, Religiosus, Paupertas religiosa.*

U S U R A.

1. *Usura juxta S. Antoninum est lucrum ex mutuo principaliter intentum,* Lucrum hoc potest consistere vel in pecunia, vel in omni alia re pretio pecuniario æstimabili.

2. Duplex distinguitur usuræ species; una *realis*, quæ committitur per pactum expressum vel tacitum recipiendi aliquod lucrum ex mutuo: altera *mentalis*, quæ committitur per solam percipiendi lucri intentionem.

3. Usura est prohibita jure naturali, divino, ac humano tam ecclesiastico quam civili.

4. Clerus Gallicanus anno 1700. sequentes hac de re propositiones debita censura perstrinxit.

PROPOSITIO LV. *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam presentem quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuario exigere, & eo titulo ab usura excusari.*

PROPOSITIO LVI. *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia & gratitudinis debitum; sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum.*

Dici. Cas. Cons. Tom. III.

U u

PRO.

PROPOSITIO LVII. *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.*

PROPOSITIO LVIII. *Tam licet ex alienatione per aliquot annos censum annuum exigere, quam licet exigere censum perpetuum ex alienatione.*

CENSURA. *Hæ propositiones, in quibus mutato tantum mutui & usuræ nomine, licet res eodem recidat, per falsas venditiones & alienationes, simulatasque societates, aliasque ejusmodi artes & fraudes vis divinæ legis eluditur, doctrinam continent falsam, scandalosam, cavillatoriam, in praxi perniciosam, palliativam usurarum, verbo Dei scripto contrariam, jam a Clero Gallicano reprobata, Conciliorum ac Pontificum decretis sæpe damnata.*

PROPOSITIO LIX. *Usura, etsi esset prohibita Judæis, non tamen Christianis, lege veteri in judicialibus præceptis abolita per Christum.*

CENSURA: *Hæc propositio verbo Dei contraria est, novæ legis perfectionem, & gentium omnium in Christo adunatarum fraternitatem tollit.*

5. Peropportune hic inferi posse videtur Bulla Benedicti XIV. tanquam regula, cui qui se conformant, indubitate recte sentiunt, judicant ac docent Theologi ac Canonistæ. Pontifex hic maximus, cujus eruditionem latissimam ac scientiam profundissimam universus suspexit orbis, materiam mutui ac usurarum tantopere ac tamdiu in scholis agitatum illustraturus, eamque ad firma & certa reducturus principia, ex præstantissimis, quos Romæ noverat, Theologis ac Canonistis Congregationem formavit, cujus consultationibus per plures menses continuatis ipsemet frequenter intererat. Conclusa horum virorum publicaturus Papa dedit Encyclicam ad Patriarchas, Archiepiscopos & Episcopos Italiae, in qua, quin expresse decideret quæstiones inter Theologos controversas, principia tamen stabilivit ad eas decidendas sufficientissima. En Bullam integram.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis frater, salutem & apostolicam benedictionem.

Vix pervenit ad aures nostras ob novam controuersiam (nempe an quidam contractus validus judicari debeat) nonnullas per Italiam disseminari sententias, quæ sanæ doctrinae haud consentaneæ viderentur, cum statim apostolici muneris partem esse duximus, opportunum asserre remedium,

re

ne malum ejusmodi, temporis diuturnitate ac silentio, vires magis acquireret, aditumque ipsi intercludere, ne latius serperet, & incolumes adhuc Italiae ciuitates labefactaret.

Quapropter eam rationem consiliumque suscepimus, quo sedes Apostolica semper vti consuevit; quippe rem totam explicauimus nonnullis ex Venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui sacrae Theologiæ scientia & Canonicae disciplinae studio ac peritia plurimum commendantur.

Accivimus etiam plures regulares in vtraque facultate præstantes, quorum aliquos ex Monachis, alios ex ordine Mendicantium, alios demum ex Clericis regularibus selegimus, Praesulem quoque juris vtriusque laurea præditum, & in foro diu versatum adhibuimus: diem quartam indiximus Julii, qui nuper præterit, ut coram nobis illi omnes convenirent, quibus naturam totius negotii declarauimus, quod illis antea cognitum perspectumque deprehendimus.

Post hæc præcepimus, ut omni partium studio, omni-que cupiditate soluti, rem totam accurate perpenderent, suasque opiniones scripto exararent: non tamen expetivimus ab ipsis, ut iudicium ferrent de contractu, qui controuersia causam initio præbuerat, cum plura documenta non suppetent, quæ necessario ad id requirebantur: sed ut certam de usuris doctrinam constituerent, cui non mediocre detrimentum inferre videbantur ea, quæ nuper in vulgus spergi coeperant.

Iussa fecerunt vniuersi, nam suas sententias palam declararunt in duabus congregationibus, quarum prima coram nobis habita est die 18. Julii, altera vero die prima Augusti, qui menses nuper elapsi sunt, ac demum easdem sententias congregationis Secretario scriptas tradiderunt.

Porro hæc vnanimi consensu probauerunt.

1. Peccati genus illud, quod usura vocatur, quodque in contractu mutui propriam suam sedem & locum habet, in eo est repositum, quod quis ex ipsemet mutuo, quod suaapte natura, tantundem duntaxat reddi postulat quantum receptum est, plus sibi reddi velit, quam est receptum; ideoque ultra sortem lucrum aliquod, ipsius ratione mutui sibi deberi contendat.

Omne propterea hujusmodi lucrum, quod sortem superat, illicitum & usurarium est.

II. Neque vero ad istam labem purgandam vllum accersiri subsidium poterit, vel ex eo, quod id lucrum non excedens & nimium, non magnum sed exiguum sit; vel ex eo quod is, a quo id lucrum, solius causa mutui, deponitur, non pauper sed diues existat, nec datam sibi mutuo summam relicturus sit otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, vel nouis coemendis praediis, vel quaestuosis agitandis negotiis, vtilissime sit impensurus: contra mutui siquidem legem, quae necessario in dati atque redditi aequalitate versatur, agere ille conuincitur, quisquis eadem aequalitate semel posita, plus aliquod a quolibet, vi mutui ipsius, cui per aequale iam factis est factum, exigere adhuc non veretur: proindeque acceperit, restituendo erit obnoxius, ex eius obligatione iustitiae, quam commutatiuam appellant, & cuius est in humanis contractibus aequalitatem cuiusque propriam & sancte seruare, & non seruata exakte reparare.

III. Per haec autem nequaquam negatur quandoque, vna cum mutui contractu, quosdam alios, vt ajunt, titulos, eosdem ipsimet vniuersim naturae mutui minime innatos & intrinsecos, forte concurrere, ex quibus iusta omnino legitimaque causa confurgat, quiddam amplius supra sortem ex mutuo debitam exigendi.

Neque item negatur posse multoties, pecuniam ab vnoquoque suam, per alios, diuersae prorsus naturae a natura mutui contractus, recte collocati & impendi, siue ad prouentus sibi annuos conquirendos, siue etiam ad licitam mercaturam & negotiationem exercendam, honestaque indidem lucra percipienda.

IV. Quemadmodum vero in tot ejusmodi diuersis contractuum generibus, si sua cuiusque non seruetur aequalitas, quidquid plus iusto accipitur, sin minus ad usuram (eoquod omne mutuum tam apertum, quam palliatum absit) ac certe ad aliam veram iniustitiam restituendi onus pariter afferentem, spectare compertum est; ita si rite omnia peragantur, & ad iustitiae libram exigantur, dubitandum non est, quia multiplex in eisdem contractibus licitus modus & ratio suppetat, humana commercia, & fructuosam ipsam negotiationem ad publicum commodum conseruandi ac frequentandi; absit enim a Christianorum animis, vt per vsuras aut similes alienas injurias, florere posse lucrosa commercia existiment, cum contra ex ipso oraculo diuino discamus, quod *iustitia eleuat gentem: miseros autem facit populos peccatum.* Prov. 14. 34.

V. Sed

V. Sed illud diligenter animaduertendum est, falso sibi quemquam & nonnisi temere persuasurum, reperiri semper, ac praesto vbique esse vel vna cum mutuo, titulos alios legitimos, vel secluso etiam mutuo contractus alios iustos, quorum vel titulum vel contractuum praesidio, quotiescunque pecunia, frumentum, aliudue id generis alteri cui-cunque creditur, toties semper liceat auctarium moderatum ultra sortem integram saluamque recipere; ita siquis senserit non modo diuinis documentis, & catholicae Ecclesiae de vsura iudiciis, sed ipsi etiam humano communi sensui ac naturali rationi, procul dubio aduersabitur; neminem enim id saltem latere potest, quod multis in casibus tenetur homo, simplici ac nudo mutuo alteri succurrere, ipso praesertim Christo Domino edocente, *Volenti mutuari ne auertaris;* Matth. 5. 42. & quod similiter multis in circumstantiis, praeter vnum mutuum, alteri nulli vero iustoque contractui locus esse possit. Quisquis igitur suae conscientiae consultum velit, inquirat primo diligenter oportet, verene cum mutuo iustus alius titulus, verene iustus alter a mutuo contractus occurrat, quorum beneficio, quod quaerit lucrum, omnis labis expertus & immune credatur.

His verbis complectuntur & explicant sententias suas Cardinales ac Theologi & viri Canonum peritissimi, quorum consilium in hoc grauissimo negotio postulauimus.

Nos quoque priuatum studium nostrum conferre in eandem causam non praetermissimus antequam congregationes haberentur, & quo tempore habebantur, & ipsis etiam peractis; nam praestantium virorum suffragia, quae modo commemorauimus, diligenter percurrimus.

Cum haec ita sint, approbamus, & confirmamus, quaecunque in sententiis superius expositis continentur; cum scriptores plane omnes, Theologiae & Canonum professores plura sacrarum litterarum testimonia, Pontificum praedecessorum nostrorum decreta, Conciliorum & Patrum auctoritas, ad easdem sententias comprobandas pene conspirare videantur.

Insuper apertissime cognouimus auctores, quibus contrariae sententiae referri debent, & illos pariter, qui illas fouent, ac tuentur, aut illis ansam seu occasionem praebere videntur. Neque ignoramus, quanta sapientia & grauitate defensionem veritatis susceperint Theologi finitimi illis regionibus: vbi controuersiae ejusmodi principium habuerunt. Quare has litteras encyclicas dedimus vniuersis Italiae Archiepiscopis, Episcopis & Ordinariis, vt haec tibi, venerabilis frater, & ceteris omnibus innotescerent, & quones Synodos celebrare, ad populum verba facere, eumque sacris do-

U u 3

ctri-

Strinis iustruere contigerit, nihil omnino alienum proferatur ab his sententiis, quas superius recensuimus. Admonemus enim vehementer, omnem sollicitudinem impendere, ne quis in vestris Dioecesibus audeat litteris aut sermonibus contrarium docere. Siquis autem parere detrectauerit, illum obnoxium & subiectum declaramus poenis per sacros canones in eos propositis, qui mandata Apostolica contempserint ac violauerint.

De contractu autem, qui nouas has controuersias excitauit, nihil in praesentia statuimus: nihil etiam decernimus modo, de aliis contractibus, pro quibus Theologi & canonum interpretes in diuersas abeunt sententias: attamen pietatis vestrae studium ac religionem inflammandam existimamus, vt haec, quae subieimus, executioni demandetis.

Primum, grauissimis verbis populis vestris ostendite usurae labem ac vitium a diuinis litteris vehementer improbari: illud quidem varias formas ac species induere, vt fideles Christi sanguine restitutos in libertatem & gratiam, rursus in extremam ruinam praecipites impellat. Quocirca, si pecuniam suam collocari velint, diligenter caveant, ne cupiditate omnium malorum fonte rapiantur, sed potius ab illis, qui doctrinae ac virtutis gloria supra caeteros effertur, consilium exposcant.

Secundo loco, qui viribus suis ac sapientiae ita confidunt, vt responsum ferre de his quaestionibus non dubitent, (quae tamen haud exiguam sacrae Theologiae & canonum scientiam requirunt) ab extremis, quae semper vitiosa sunt longe se abtineant: etenim aliqui tanta seueritate de iis rebus iudicant, vt quamlibet vtilitatem ex pecunia desumptam accusent, tamquam illicitam, & cum usura conjunctam: contra vero nonnulli indulgentes adeo remissique sunt, vt quodcumque emolumentum ab usurae turpitudine liberum existiment. Suis priuatis opinionibus ne nimis adhaereant, sed priusquam responsum reddant, plures scriptores examinent, qui magis inter ceteros praedicantur; deinde has partes suscipiant, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligent. Quodsi disputatio insurgat, dum contractus aliquis in examen adducitur, nullae omnino contumeliae in eos configantur, qui sententiam contrariam sequuntur, neque illam grauibus censuris notandam asserant, si praesertim ratione & praestantium virorum testimonio minime careat; siquidem conuitia atque iniuriae vinculum christianae charitatis infringunt, & grauissimam populo offensionem & scandalum praeserunt.

Ter-

Tertio loco, qui ab omni usurae labe se immunes, & integros praestare volunt, suamque pecuniam ita alteri dare, vt fructum legitimum solummodo percipiant, admonendi sunt, vt contractum instituendum antea declarent, & conditiones inferendas explicent; & quem fructum ex eadem pecunia possulent. Haec magnopere conferunt, non modo ad animi sollicitudinem & scrupulos euitandos, sed ad ipsum contractum in foro externo comprobandum: haec etiam aditum intercludunt disputationibus, quae non semel concitandae sunt, vt clare pateat, vtum pecunia, quae rite data alteri esse videtur, reuera tamen palliatam usuram contineat.

Quarto loco, vos hortamur, ne aditam relinquatis ineptis illorum sermonibus, qui dicitant, de usuris hoc tempore quaestionem institui, quae solo nomine contineatur, cum ex pecunia, quae qualibet ratione alteri conceditur, fructus vt plurimum comparetur: etenim quam falsum id sit, & a veritate alienum, plane deprehendimus, si perpendamus naturam vnus contractus ab alterius natura prorsus diuersam & seunctam esse, & ea pariter discrepare magnopere inter se, quae a diuersis inter se contractibus consequuntur. Reuera discrimen apertissimum intercedit fructum inter, qui pure liciteque ex pecunia desumitur, ideoque potest in vtroque foro retineri, ac fructum, qui ex pecunia illicite conciliatur, ideoque fori vtriusque iudicio restituendus decernitur.

Constat igitur haud inanem de usura quaestionem hoc tempore proponi ob eam causam, quod vt plurimum ex pecunia, quae alteri tribuitur, fructus aliquis excipiatur.

Haec potissimum vobis indicanda censuimus, sperantes fore, vt mandetur executioni, quaecumque per has litteras a nobis praescribuntur opportunis quoque remediis consulatis, vti confidimus, si forte ob hanc nouam de usuris controuersiam in dioecesi vestra turbae concitentur, vel corruptelae ad labefactandam sanae doctrinae candorem, & puritatem inducantur.

Postremo vobis & gregi curae vestrae concredito, Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem, die prima Nouembris M. DCC. XLV. Pontificatus nostri anno sexto.

Uu4

NOTA.

Nota. Per usuram in Germania communiter nil aliud intelligitur, quam *lucrum ex mutuo*, dum quis a mutuario plus recipit quam dedit. Hæc usura, in quantum non restringitur per legem positivam ad justos limites, est prohibita jure naturali; quia ob ipsam indeterminationem, dum quantitas permittitur contrahentium arbitrio, est causa ingentium malorum in genere humano, ac oppressionis enormis innocentium. Idem dicendum, quando per legem positivam usura quidem restringitur, sed non ad justos limites, prout contigit tempore Imperatorum veterum, quo ex mutuo concedebatur singulis mensibus pars centesima sortis, ut proin intra annum mutuatarius pro centum solvere debuerit duodecim. Hæc determinatio legis positivæ necdum sustulit gravamen generale generis humani & oppressionem pauperum per usurarios: & hinc ista vetus usura per leges Imperatorum permissivas nunquam potuit fieri licita in foro interno; maxime cum ejusdem injustitia per declarationes veteris Ecclesiæ sæpius fuerit fidelibus ob oculos posita. Aliud dicendum post constitutionem Caroli V. per quam usura ad vigesimam solum partem post lapsum anni a mutuario persolvendam restricta est. Hæc restrictio non solum tollit generale gravamen generis humani, sed etiam optime convenit cum legibus prudentiæ, providet sustentationi innumerorum respectu miserabilium, qui solum vivunt ex censibus, & ipsis mutuariis est exoptabilis, qui alias difficulter suis in necessitatibus reperirent sublevamen. Hinc ista limitatio non solum nunquam ab Ecclesia pro foro interno prohibita, sed pro eodem universim fuit approbata a Doctoribus Germaniæ pro populis sub ditione Imperatorum degentibus. Quia tamen ex mutuo qua tali ac proprie dicto non licet querere lucrum, intentio contrahentium, quæ tacite subordinatur, ac regulariter subordinari debet intentioni Legislatorum, jam non amplius fertur, ad lucrum ex sterili pecunia, sed ad querendum lucrum ex aliena industria ac opera, quam mutans sua pecunia conducit; & ideo mutuum in Germania habet rationem contractus consensualis personalis, ratione cujus census sit universim licitus extra eos casus, in quibus quis tenetur proximum juvare gratis ac cum aliquo suo periculo ac incommodo per legem charitatis. Itaque quæ in hoc articulo dicuntur, non habent locum in Germania, nisi in duobus casibus. *Primus* est, quando exigitur a mutuario major census, quam legibus permittitur, nempe plus quam vigesima pars sortis principalis intra annum; in isto enim excessu reperitur illa usura, cujus datur prohibitio; & quod per decursum hujus articuli dicitur de quovis excessu ultra sortem principalem ex mutuo, in Germania applicari debet ad quemvis excessum ultra partem vigesimam præfatam ex contractu consensuali personali; utpote extra hos limites non permisso a legibus. *Secundus* casus est, quando mutuum non consistit in numerata pecunia, sed miscetur tacite aliis contractibus v.g. commodati, permutationis, venditionis, societatis &c. cum enim in ejusmodi contractibus per leges Imperatorum nulla possit inveniri uniformis regula pro taxanda justa quantitate usuræ, aut si inveniri posset, ea obnoxia foret multis fraudibus cum oppressionem indigentium, intererat boni publici, ut licentia usuræ seu taciti contractus consensualis personalis non reciperetur in illis contractibus, nisi contrahentes ineant expresse duos contractus v.g. venditionis, & simul mutui: sic enim ob æstimationem accuratam utriusque contractus seorsim non relinquatur tanta occasio iniquita-

tum

tum per tractationem confusam. Hæc præmonenda erant, ut Lectori Germano non fiat lapsus offensionis doctrina. Scriptorem Gallorum, qui non obstante consuetudine contraria suos patros adhuc constitutos esse existimant sub indeterminatione legum naturalium quoad usuram haud dubie nociva humano generi, & eo ipso prohibita. Ut vero Germanus Lector facilius sibi applicare possit plerasque responsiones hujus articuli, notet sibi has duas propositiones:

1. *Usura in Germania est, quod recipitur ultra partem vigesimam sortis principalis in contractu consensuali personali.*
2. *Contractus mutui in Germania est commodatio pecunie a legibus non elevata ad naturam contractus consensualis personalis; quod semper fit, quando ex industria mutuatarii aliquid exigitur ultra vigesimam partem sortis principalis.*

CASUS I. Egbertus dives numularius multas sibi cumulavit divitias per lucra usuraria ex mutuis. Confessarius ipsum obligat ad restitutionem 10000. florenorum usurarie acquisitorum. Egbertus autem in sui defensionem offert sequentes quatuor rationes: 1. Scriptura condemnat usuram solum respectu pauperum, & non ut malam ex se ipsa & ex natura sua. 2. Primum Concilium generale Nicænum, omniaque alia primis Ecclesiæ sæculis habita Concilia usuram ex mutuo solum prohibuerunt Clericis. 3. Cum mercatoribus aliisque amplum commercium exercentibus datur mutuum, sit ipsis gratia, occasioque suppeditatur lucra sua augendi; æquum igitur est, ut & mutans quidpiam lucretur. 4. Nunquam percepit ex mutuo usuras enormes, sed tantum conformes legibus, constitutionibus Principum ac consuetudini patriæ; vigetque hoc commercium inter omnes nationes, ac ab ipsismet Imperatoribus ac Principibus Christianis probatur. Valente hæ rationes?

3. Certum est, usuram esse peccatum mortale; utpote Ecclesia in suis Conciliis, & Patres in scriptis suis eam semper reprobarunt ut condemnatam a Scriptura veteris ac novi testamenti, & tanquam adversantem legi tam divinæ quam naturali, ut ait S. Thomas. Rationes Egberti quod attinet, respondetur *Ad 1.* In Scriptura reprobat usura illimitate respectu omnium, sive sint divites sive pauperes. Ad hæc absolute non potest habere locum distinctio inter pauperes ac divites; cum usura sit malum ex natura sua, sicut rapina & furtum: hinc dicit S. Ambrosius Can. *Si quis. 10. 14. q. 4: Si quis usuram acceperit, rapinam facit.* *Ad 2.* Quod primum generale Concilium Nicænum aliaque subsequencia Concilia mentionem expressam non fecerint de laicis, ideo factum est; quia malum usuræ erat universale, & conveniens

non erat, ut rigore censurarum ecclesiasticarum populus exasperaretur; immo potius lenius tractandus erat, ut sensim assuesceret doctrinæ evangelicæ. His tamen non obstantibus Concilium Eliberitanum can. 20. pœnas statuit in usurarios, etiam laicos. Immo ipsum generale Concilium Nicœnum, dum usuram interdicit Clericis, utitur ratione prohibitionis generali, quæ omnes tangit; sicque satis clare indicat, se condemnare usuram etiam in laicis: declarat enim can. 17. usuram ex sordida provenire avaritia, eosque, qui usuraria lucra sectantur, divini præcepti esse oblitos. Concilium denique Turonense de anno 461. can. 13. expresse habet, neminem salvari posse, qui non servaverit legem Dei, qua usura prohibetur. *Ad 3.* Quod mutuarii ex pecunia Egberti multum lucri perceperint, ad mutuantem nil refert: nullum enim hic habet jus ad lucrum mutuarii, nullamque ex gratia alteri facta potest exigere mercedem; cum mutuarius verum adquisierit dominium pecuniæ sibi mutuo datæ. *Ad 4.* Imperatores ac Principes non solum usuras nunquam approbarunt, sed semper prohibuerunt: sic etiam nunquam quid statuerunt in ordine ad taxandas usuras, sed solum determinarunt interesse legitimum. Si ullibi consuetudo aut leges approbarent usuram contra legem Dei & Ecclesiæ, nulla earumdem habenda foret ratio. *Pontas.*

CASUS II. Otho mutuos dedit 5000. florenos Silvanio adjecta hac clausula, quod nec velit nec possit repetere mutuum ante lapsum triennii. Et ex hoc ipso prætextu, quod scilicet per id tempus videatur alienasse pecuniam suam, exigit censum a Silvanio partem vigesimam fortis. Num iuste?

R. Semper verum manet, quod Otho repetere possit mutuum post lapsum triennii; quod autem verum non esset, si intervenisset alienatio. Non reperitur in hoc casu nisi simplex mutuum ad præfixum terminum, in quo nunquam licet exigere censum *ratione mutui*. Hinc Otho non potest absque usura recipere lucrum ex hoc mutuo. Id quod decisum fuit a facultate Theologica Parisiensi, quæ 1658. & 1665. condemnavit duos libros, unum *Apologia Casuistarum*, & alterum *Amadeus Guimenius*, in quibus reperiebatur hæc propositio: *licitum etiam esse mutuantem aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum terminum*. Censura hujus propositionis hæc erat: *Doctrina hæc falsa est, scandalosa, inducens ad usuras; varias aperit artes eas palliandi, justitiam ac charitatem violandi.* *Pontas.*

CASUS III. Gobertus civis Parisiensis cum in promptu haberet summam 3000. florenorum in mutuum elocandam, & Laurentius civis Rotomagensis eum in finem Parisios venisset, ut similem summam mutuam acciperet, contractum mutui conficere tentant pro censu annuo. Quoniam vero Parisiis pro censu annuo fixa est pars vigesima summæ capitalis, in Normannia autem pars decima octava; Gobertus cum Laurentio Rothomagum abit, ibi contracturus, sicque amplio-rem censum reportaturus. An non delinquit in legem Gobertus, aut injustitiam committit?

R. Non videtur, Gobertum injuste egisse: edictum enim Regium, quo determinatur census annuus ex mutuo pro Normannia, nullam facit mentionem de loco domicilii eorum, qui ejusmodi contractus mutui ineunt; sed tantum exprimit territorium aut provinciam, ubi ejusmodi contractus fiunt, ita, ut omnes & singuli subditi Regii ibi possint contrahere juxta modum pro eo loco determinatum ac fixum. *Pontas.*

CASUS IV. Rogerius sciens, Artum nummularium & amicum suum querere mutuum pro censu annuo, summam 3000. florenorum ipsi dat mutuam, nullum stipulando interesse, bene tamen sperando. Post lapsum anni Artus Rogerio solvit interesse 150. florenorum, & iterum ad annum petit sibi relinqui summam mutuo datam; sicque factum est per quatuor annos, ita ut Rogerius pro interesse acceperit 600. florenos. Confessarius Rogerium obligat, ut non amplius recipiat interesse, & acceptum computet ad summam capitalem; qui autem ex eo se excusat, quod mutuam dando summam nullum interesse petierit, acceptumque per quatuor annos esse respiciendum pro pura gratificatione ab Arto sibi facta. Potestne Rogerius tuta conscientia integram summam 3000. florenorum ob Arto repetere?

R. Etsi in foro externo & coram hominibus Rogerius non habeatur pro usurario, cum nec verbo nec scripto interesse petierit; in foro tamen interno & coram Deo, qui intuetur cor, excusari non potest: sola spes percipiendi lucrum ex mutuo ipsum usuræ reum constituit. *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Luc. 6. v. 35. *Hujusmodi homines,* inquit Urbanus III. Cap. *Consuluit.* 10. Lib. 5. Tit. 19. *pro intentione lucri, quam habent (cum omnis usura & superabundantia prohibeatur in lege judicandi sunt male agere, & ad ea, quæ taliter sunt accepta, restituenda in animarum judicio efficaciter inducendi.* *Pontas.*

NOTA. Si Rogerius erga amicum sic comparatus erat, ut ei daret pecuniam, etsi censum non esset recepturus, sola spes, quæ non transit in debitum, non videtur eum reddere usurarium.

CASUS V. Gilbertus cum non posset ab aliis obtinere mutuum pecuniam, qua ad suum indigebat commercium, vendit Renato quatuor iugera prati pro 500. florenis, reservato sibi jure illud redmendi intra quinque, septem, aut novem annos. Confecto contractu Renatus pratum locat alteri pro annuo locationis pretio 25. florenorum, quod interesse ex summa 500. florenorum legibus conforme est, prætenditque id juste fieri posse vi consuetudinis, quæ viget in provincia. Num in hoc contractu usura intervenit?

ꝑ. Verum est, ejusmodi contractus in variis locis per consuetudinem tolerari; sed in foro interno nihil aliud sunt, quam mutua palliata, & consequenter usuraria. *Pontas*

Nota. Non sunt tales contractus usurarii, si ex parte dantis mutuum intervenit periculum sortis.

CASUS VI. Gratianus indigens centum imperialibus petit Clementem, ut illos sibi det mutuos. Clemens e sua pecunia lucram recepturus init cum Gratiano contractum constitutionis, & pro securitate summæ Gratianus pro pignore Clementi offert vineæ jugerum hac lege, ut singulis annis Clementi census loco cadum vini tradat. Verum cum Clemens timeret, ne id, quod valorem supra consuetum censum excedit, in restitutione summæ deducat Gratianus, urget, ut sibi vinea vendatur pro 100. imperialibus, quamvis pluris valeat. Postquam igitur vineam per integrum annum possederat: eam restituit pro pretio, de quo convenerant, id est, pro cado vini. An iste contractus tuta conscientia ex utraque parte fieri potuit?

ꝑ. Ille contractus constitutionis, quo Clemens censum a Gratiano acquirit, est usurarius usura contractu venditionis fictæ & fraudulentæ palliata; hinc Clemens talem contractum tuta conscientia inire nequivit, ita ut, si Gratianus necdum potuit censum istum redimere, Clemens in conscientia teneatur percepta in rationes suas referre, & a summa capitali deducere; aut, si vinea jam denno rediit ad Gratianum, excessum hucusque perceptorum restituere. Nihilominus si uterque contrahens bona fide egisset, & Clemens non intendisset lucrum præcise ex mutuo, sed solum aliquod lucrum legitimum ex pecunia sua facere voluisset, videtur eum de usura condemnari non posse. *Pontas.*

CASUS VII. Leminius debet Publio censum annum 100. florenorum. Cum autem Publius pecuniis indigeret, rogat Leminium, ut sibi in antecessum solvat censum unius anni deductis quinque florenis. Leminius annuit: & solvit Publio 95. florenos, recepta apocha pro centum. An nullibi intervenit usura?

ꝑ. Jux.

ꝑ. Juxta S. Thomam opusc. 67. ejusmodi solutiones anticipata factæ cum diminutione sunt usurariæ; & sic Leminius ad restitutionem tenetur. *Ille, qui ad certum terminum debet, ait S. Doctor, si ante terminum solvit, ut ei de debito aliquid dimittatur, usuram committere videtur, quia manifeste tempus solutionis vendit; unde ad restitutionem tenetur.* Verum si Leminius revera tantum fuisset damnus ob anticipatam solutionem, quantum suffert Publius remittendo quinque pro centum, nulla interveniret injustitia. Idem 2. 2. q. 78. art. 2. ad 1. Idem dicendum esset, si Publius ex mera generositate Leminio quinque pro centum remisisset. *Pontas.*

CASUS VIII. Salvius a Cletio mense Maio statim numerata pecunia emit 1000. pelles ovinas mense Augusto tradendas; verum cum paratam pecuniam statim daret, pro una pelle septem dumtaxat solidos cum dimidio solvit; licet communi æstimatione una pelles constaret decem solidis. Num hæc emptio ab omni usura immunis est?

ꝑ. Solutio anticipata facta a Salvio habet rationem mutui: hinc Salvius haud dubie usuram commisit. *Si quis emptor, ait S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 2. ad 7. velit rem emere vilius, quam sit justum pretium, eoquod pecuniam ante solvit, quam possit ei res tradi, est peccatum usuræ; quia etiam ista anticipatio solutionis pecunia habet mutui rationem, cujus quoddam pretium est, quod diminuitur de justo pretio rei emptæ.* Verum si anticipata solutione in gratiam Cletii facta damnus pateretur tantum, quantum obtinisset lucrum; vel, si anticipato non solvisset, sua pecunia lucrum acquirere potuisset, illa occasione, immunis est ab usura: nam damnus emergens & lucrum cessans sufficiens sunt titulus, vi cujus carius aut vilius merces eui vendique possint, quam alias earum esset valor. *Pontas.*

CASUS IX. Nebridius Toparcha Josepho, qui pecuniis indigebat, ad ipsius petitionem mutuos dedit 200. florenos hac conditione, ut in futurum triticum suum ad molendum, aut farinam ad pistrinum Nebridii deferat, ad quod alias non teneretur. An hæc conditio usuraria est? An etiam usura esset, si aliquis pistor mutuum daret pecuniam alicui hac lege, ut ab ipso emeret panes?

ꝑ. Certum est, hanc conditionem esse usurariam: nam Nebridius hac ratione acquirit sibi servitutem activam pretio pecuniario æstimabilem, idque ex dato Josepho mutuo. Idem dicendum de pistore. Rationem aliam allegat Sylvius; quia est obligatio civilis, qua mutuatarius privatur sua libertate, & consequenter se exponit hujusmodi periculo, ut non possit alteri operam suam locare, quamvis sub majori stipendio requireretur. *Pontas.*

CA.

CASUS X. Rigobertus ducentos imperiales mutuos dedit Hieronymo advocato hac conditione, ut causam suam in Parlamento gratis propugnet, & hanc conditionem Hieronymus acceptavit. An in hoc casu datur usura?

ꝑ. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 78. art. 2. ad 3. isthæc conditio est usuraria: labor enim ac ministerium advocati cum sit res pretio pecuniario æstimabilis, Rigobertus non facit mutuum gratuitum. Si tamen advocatus ex mera benevolentia & amicitia causam Rigoberti propugnandam susciperet, hanc Rigobertus benevolentiam acceptare, immo etiam exigere posset; dummodo id non fiat ratione mutui. *Pontas.*

CASUS XI. Theobaldus mutuo dat Philippo 250. florenos ex spe obtinendi ab eo alicujus honorarii. An usuræ reus est?

ꝑ. Si honorarium respicit tanquam debitum ratione mutui, spes ipsius vitiosa ac usuraria est. Si vero honorarium sperat ut rem omnino gratuitam, ad quod faciendum ex parte Philippi nulla prorsus obligatio, illud absque vitio usuræ recipere potest. Ita docet S. Thomas q. 13. de malo. art. 4. ad 13. *Pontas.*

CASUS XII. Eusebius rogat Gualterum, ut sibi mutuos det centum imperiales; Gualterus petito annuit hac conditione, ut alia occasione etiam sibi mutuos det centum imperiales. An hæc conditio usuraria?

ꝑ. Cum ejusmodi obligatio pecunia æstimari possit, conditio illicita & usuraria est. Ratio est; quia gratificatio debet esse omnino libera ac gratuita, ita ut ad eam exhibendam nemo obligari possit. *Pontas.*

CASUS XIII. Hebertus Petro dedit mutuo viginti aureos ex mera benevolentia ac amicitia erga illum; interne tamen intentionem habuit, a Petro similem opem in alia occasione recipiendi. An hæc intentio usuraria est?

ꝑ. Si intentio Heberti fuerit penitus occulta, nec a Petro aliquid promissum exegerit, non usuraria erit talis intentio; cum Petro plenam libertatem reliquerit. Ejusmodi intentionem SS. Antoninus & Raymondus vocant secundariam & minus principalem, eamque a vitio excusant. Ne autem in ejusmodi occasionibus sibi ipse quis fucum faciat, sedulo perpendendum, an quis sincere sit dispositus ad dandum mutuum, etsi prævideat, nunquam sperari posse aliquid obsequium aut beneficium ab eo, cui conceditur mutuum. *Pontas.*

CASUS XIV. Scævola suo vicino mutuum dat certam quandam pecuniæ summam, hac principali intentione, ut

ni-

mutuum ipsum lucretur amicitiam, ac suo tempore experiat gratitudinem. An hæc intentio usuraria est?

ꝑ. Amicitia, & gratitudo pecunia non æstimantur; & propterea intentio Scævolæ non est usuraria. S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 2. C. *Pontas.*

NOTA. Sola spes non deducta in pactum non reddit contractum usurarium. V. *Cas.* 13.

CASUS XV. Hercules indigens summa 625. florenorum rogat Gratianum, ut sibi istam mutuet addito promisso, se restitutum in aureis post trimestre, quo tempore valor horum aureorum probabiliter major erit, quam tempore, quo mutuum accipit: vel promittit hanc summam restitutum Argentorati, ubi talis aureus 15. crucigeris plus valet, quam Parisiis. An hic contractus usurarius est?

ꝑ. Si intentio Gratiani principalis fuerit, ut ex mutuo accipiat lucrum, usuræ reus est. *Pontas.*

NOTA. Si Hercules ex ea qualitate pecuniæ solvendæ nullum sustinet damnum, & Gratianus eam ultroneam oblationem non dedit in pactum, non intervenit usura.

CASUS XVI. Licinius pecunia indigens cogitat Juliano ad decem annos vendere redditus 150. florenorum: quos ex suo fundo singulis annis recipit; Julianus etiam acceptat hanc conditionem, & in parata pecunia Licinio solvit 1100. florenos. An hæc conventio usuraria est?

ꝑ. Author Opusculi, quod S. Thomæ tribuitur, 73. de usuris. c. 9. in fine censet, non intervenire usuram: nam 1. venditor potest suum fundum, cujus dominus est, cedere alteri ad tempus, & pro pretio, quod libuerit. 2. Non est injustitia, vendere aliquam rem tanti, quanti ab ipsis contrahentibus æstimatur; dummodo æstimatio fiat secundum æquitatem, ut in præsentis casu fieri videtur; tum quia Licinius non acceptaret 1100. florenos, si ab alio majorem summam recipiendi spes foret; tum quia 1500. floreni, quos intra decennium ex fundo suo perciperet, non sunt pluris æstimandi quam summa, quam in numerata pecunia recipit per mutuum. 3. Id, quod summam 1100. florenorum excedit, non est considerandum tanquam lucrum distinctum a sorte principali. Juxta eundem Authorem c. 10. in fin. potest emi terra constita minori pretio, quam æstimaretur tempore messis. *Pontas.*

CASUS XVII. Cæsarius decem modios tritici, quibus indiget, mutuo accipit a Claudio circa medium Octobris.

quo